



Antiqvae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XIII. De miraculo in membris viri Dei facto, & exitu Sanctæ illius animæ, & quod apud Aschein sepultus est, & de natura orbis mutata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

perq; loca petrarum abrupta, & monumenta mortuorum discurrendo terribiliter perstrepebat, & tamen ita stupidus, nullifuit periculosus. Sæpè quoq; sic euagatus est, vt per cacumina turrium curreret, & præcipitium minime toleraret. Cæterum vir idem callem piæ conuerstationis reæ gradiebatur, & Missarum Officia cæteraq; Ecclesiastica strenuè peragendo, charitatis munia cuncta, quantum valuit, adimplevit: hoc tantum solum usq; ad finem vitæ, ut nobis æstimare conceditur, & pro exemplo & pro humilitatis custodia, pertulit,

XIII.

Interea locorum incolæ pretiosa Martyris membra humanitate compuncti in arborem, quæ SPINA ALBA vocatur, collecta, dum conderent, conditisq; non diu recessissent, duo pulcherrimi viri antea non visi viam regiam equitantes deutroq; arantes latere, pro mēbris beati Pontificis, vbi posita fuissent, conueniebant. Quibus in arbore prædicta monstratis, videntibus cunctis, illuc peruenientes, subito non comparuerunt. Hac disparitione, qui præsto fuerant omnes stupefacti, ad arborem illico conuolantes membra paulo ante posita non inuenerunt; factiq; sunt huius rei testes & noticia & nouitate penè oës, qui eiusdem loci fuerant habitatores, consulente diuina dispositione membris illis preciosis, quæ non amittit in sanctis etiam capillum capit. Dum hæc geruntur, qui circa Sanctum Dei fuerant, tollentes eum de certaminis campo, in plaustro ponebāt, perducturi eum in villam ASCHEIM, que distabat inde 12. milliaribus, vbi & Ecclesia fuit B. PETRO Apostolorum Principi dedicata, ne in uilibus rusticorum casu, tanta talisq; persona deficeret. Proinde mulieres ex vicinia collectæ, & viri circiter ducenti, venerabiles

Luc. 21.

exc-

exequias prosequuti, viscera commiserationis votis indulgere fidelibus. Emenſa iam magna itineris parte, in campum quendam gramineum tribus milibus distantem à vi-
co A SCHEIM perueniebant: & ecce transmigratus ad cœlestia beatus Pontifex voce qua valuit eiulare cœpit, innuens horam vocationis suæ aduenisse. Quod quidam comitantur subtiliter discernens, ut de plaustro leua-
tum Christi Martyrem dimitterent telluri, cum præmo-
nuisset socios, mox herbido in aprico loco tremebunda re-
ligione resolui cœpit. In exitu vero sanctæ animæ illius de
Ægypto huius mundi, lucem quasi lampadis immensæ ex
ore sancti viri processisse, cœlumq; ipsum penetrasse, cun-
cti assistentes videbant, tantaq; vis iubaris erat, vt intuen-
tium oculos quasi fulminando reuerberaret, pauorq; membra eorum tremore concuteret, vt vix beati viri cor-
pus in plastrum auderent reponere. Itaq; inde digna pa-
tre reuerentia ad præfatum A SCHEIM perductum in Ec-
clesia beati Petri Apostoli, confauentibus eius loci popu-
lis, debito sepelierunt honore. Sed quoniam eius resurrec-
tionis diem beatissimus Pontifex præstolari minime ve-
luit, exigente iustitia, vt quos fidei gremio nutrierat, eis
quoq; sacri corporis patrocinatur reliquis, cœpit orbis
natura moueri, atq; elementorum violentia tanti sacerdo-
tis nutum prædicare. nam coorta subito ventorum procel-
la, lucida regio poli nubibus obducitur, & contenebratur
cœli facies, mugitu tonitrui, fulguribusq;, mortalium
corda terribus; dissoluto interim in pluuias & defluen-
tes amnes aëre continua quadraginta diebus.

XIV.

Tunc sicut in angustia semper humanum genus de in-
suetis attendit, & de periculis requirit, consulta est diui-
na potentia & pietas exorata, donec visu nocturnæ reuelationis

D 3

tionis